

de stellis, de deorum natura disputamus, ne quid temere, ne quid impudenter, aut ignorantes affirmemus, aut scientes mentiamur?

Non possumus loqui recte de numine divino, nisi simus illustrati lumine ejus. — Nam numen divinum est fons luminis, sicut et bonitatis.

3. Nec vero deus ipse, qui intelligitur a nobis, alio modo intelligi potest, nisi mens soluta quaedam et libera, segregata ab omni concretione mortali, omnia sentiens et movens, ipsaque praedita motu sempiterno.

Quid interest inter naturam dei, et nostram? Nostri melior pars, animus est: in illo nulla pars extra animum, totus ratio est. Neque enim omnia deus homini fecit. Quota pars operis tanti nostris oculis committitur? Ipse, qui ea tractat, qui condidit, qui totum hoc fundavit deditque circa se, majorque est pars operis sui, ac melior, effugit oculos, cogitatione visendus est.

4. Nos deum, nisi sempiternum, intelligere qui possumus? Quae nobis natura informationem deorum ipsorum dedit, eadem insculpsit in mentibus, ut eos aeternos, et beatos haberemus. — Thales interrogatus, quid esset deus? *Quod, inquit, caret initio et fine.*

5. Nihil est, quod deus efficere non possit, et quidem sine labore ullo. Ut enim hominum membra, nulla contentione, mente ipsa ac voluntate moventur: sic numine deorum omnia fingi, moveri, mutarique possunt.

6. Quocumque te flexeris, ibi deum videbis occurrentem tibi; nihil ab illo vacat, opus suum ipse implet.

7. Comoda, quibus utimur, lucemque, qua fruimur, spiritumque, quem ducimus, ab eo (Jove) nobis dari, atque impetrari videmus.

---

Jamblich. de myster. c. 18. — Simplic. in Epictet. c. 1. — Cie. Tusc. 1, 27. — Seneca 1. qu. praeſ. et 7, 30. — Cie. N. D. 1, 10 et 17. — Diogen. Laert. 1, 36. — Cie. N. D. 3, 39. — Sen. Benef. 4, 8. — Cie. pro Rose, Am. c. 45.